



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia VIII. De Voluntate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

tingentia: ergo constituit actum certum. Præterea necessitas huius veritatis in actu est prædicatum quoddam specificum & essentialiter actui, quod non potest non specificari ex principiis, vel ex obiecto. Deinde sumitur ex modo tendendi in obiectum, quod actus verus secundum hanc sententiam essentialiter supponit, & cum quo essentialiter connexionem habet. Concludo ob has rationes ægrè in hac sententia veritate à certitudine posse distinguere.

CONTROVERSIA VIII.

De Voluntate.



VOLUNTAS est potentia spiritualis per actus elicitos appetitiva. Distinguitur ab Appetitu communi homini & bruto per prædicatum spiritualis; & ab aliis innatis, per ordinem ad actus elicitos, quos præcedenti cognitione exercet, mediis quibus fertur in obiectum præcognitum non cæco modo, sicut fertur innatus appetitus nullâ præeunte cognitione. De potentia volitiva & eius actibus ad latetatem usque agunt Theologi i. 2. qui vix aliquid de natura illorum degustandum Philosophis relinquunt, ad quos iure optimo pertinebant plura purè Philosophica, quæ iam Theologorum schola sibi arrogat. Nonnulla ad propriam sedem restitui, & forsitan Controuersis venturis aliquid prælibabo, ex his quæ Theologi iure disputant, sine illorum tamen iniuria, omnia enim ex principiis, terminisq; Philosophicis attingam.

PUNCTUM PRIMUM.

De obiecto voluntatis.

I Obiectum voluntatis est bonum & malum: in bonum tendit actu prosecutionis, in malum actu fugæ. De natura boni, & mali dicam in Metaphys. Contr. 3. modo breuiter assero bonum esse duplex, vnum absolutum in se, alterum respectuum; bonum absolutum, quod in se integrum; pulchrumve est sine ordine ad aliquod subiectum. Hanc bonitatem habent etiam obiecta, quæ relatè ad aliud subiectum materialia sunt, sicuti nix in hyeme etiam si relatè ad animal mala sit, in se tamen habet frigiditatem, & candorem; quibus in se est bona. Bonum alteri conueniens diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. Est difficultas inter Authores, an voluntas tantum feratur in bonum alteri conueniens, an etiam tendat in bonum absolutum, & secundum se. P. Vasq. i. 2. disp. 3. c. 3. Montel. i. 2. disp. 1. q. 1. affirmant voluntatem non ferri actu complacentiæ in bonum absolutum, sed vt relatum alteri & in ordine ad subiectum, quia nix non amatur hyeme, quando tunc non est bona subiecto, etiam si in se suam integritatem habeat. Non placet ratio; aliud enim est voluntatem complacere in niue secundum se: aliud in niue quatenus coniuncta seu applicata: ego in hyeme non complaceo in niue quatenus mihi applicata, complaceo tamen in illa quatenus in se est integra & pulchra: sicuti complaceo in eo quod amicus sit fortis, pulcher, & cordatus, quin amicum his qualitatibus præditum mihi, alteriue conuenientem apprehendam.

2 Sentio voluntatem posse ferri in bonum absolutum & secundum se sine ordine, neque delectatione ad subiectum; ita Hurt. disp. 13. sect. 1. Probo hanc conclusionem, ex actu amicitie, quo amo amicum in se ipso, & propter se ipsum, & gaudeo de perfectione, pulchritudine, & integritate amici, quin cogitem an mihi vel alij subiecto sit utilis, quo feror in bonitatem absolutam sine respectu ad subiectum. Vrgeo in actu charitatis erga Deum, quo ipsum amo propter ipsum absq; alio respectu ad me, neque ad creaturam aliquam, aliàs talis amor non esset charitatis erga Deum, sed concupiscentiæ, si amarem Deum quatenus mihi bonum, vel charitatis erga proximum, si Deum, quatenus est bonus proximo, diligere. Dices actu amicitie erga homines, & erga Deum amare bonitatem amici, quatenus bonam ipsi amico, ac proinde semper voluntatem ferri in

bonum quatenus conueniens alicui subiecto. Subiicit solutio, quando amo amico diuitias vel honores, aliæ bona ab ipso distincta, quando verò gaudeo de bonitate intrinseca ipsius secum identificata propter se ipsum, quia in se bona est, tunc nulla est conuenientia inter id quod amatur, & id cui amatur, quando conuenientia debet semper intercedere inter ea, quæ realiter distinguuntur, nihil enim sibi conueniens esse potest.

Dices nihil esse sibi propriè conueniens, esse tamen improprie hac ratione vita hominis, quæ ab ipso non distinguitur primum maximumque bonorum omnium dictum mors verò malorum maximum. Caue ne nomen æquiuocatione materiam questionis omnino demas. Si eiuſdem entitatis ad se ipsam conuenientiam agnoscas, nullum obiectum poterit assignari, in quo talis conuenientia non reperitur; si enim dicis amicum secundum suam entitatem esse sibi conuenientem, sic calorem & quancumque aliam entitatem, formalitatemve quam assignes, dicam ego sibi esse conuenientem, & ita nunquam questio hæc locum inueniet, destruitur enim illius suppositum, videlicet bonum absolutum, cum omne bonum sibi bonum, & conueniens fingatur. Sed esto dicatur omne ens sibi bonum, atque conueniens, adhuc voluntas fertur in bonum vt absolutum, & sine hac conuenientia ad se ipsum, quod sic probo. Voluntas sæpè complacet in persona amici quatenus in se est bona, quin intellectus proponat bonitatem amici, neque ipsum amicum quatenus sibi conuenientem: ergo fertur in bonum quod proponitur vt absolutum ab omni conuenientia, & sine aliquo respectu ad aliud, neque ad se ipsum, ergo eodem modo tenderet in tale obiectum, etiam si talem conuenientiam non haberet, quod enim non cognoscitur ab intellectu, proinde est ac si non esset in ordine ad actum voluntatis, qui sit sine tali cognitione.

Aliud est difficilius circa voluntatis obiectum, An videlicet voluntas possit ferri in bonum vt bonum actu fugæ, & in malum vt malum actu prosecutionis. Affirmant Nominales & alij plures apud Patrem Salas i. 2. q. 1. art. 2. tract. 1. disp. 13. sect. 1. Quod sequitur P. Azor. i. lib. 1. c. 10. noster Complutensis Hurtad. i. 2. disp. 3. diff. 1. Oppositum docet Vasq. i. 2. disp. 31. cum communi sententia, quæ tenet voluntatem tantum posse ferri in obiectum bonum formaliter, vt bonum actu prosecutionis, & in malum formaliter vt malum actu fugæ. Hanc conclusionem probat Vasq. Patrum auctoritate præcipue Aug. & Dionysij dicentis, *nemo intendens ad malum operatur*. Ratione confirmatur desumpta paritate intellectus, qui non potest affectui obiecto vt falso, neque illi vt vero dissentire; ergo neque voluntas amare obiectum vt malum, neque odio habere obiectum vt bonum. Sicut enim verum & falsum sunt obiectum intellectus, ita bonum & malum voluntatis.

Efficacius eandem conclusionem confirmo: Ad hoc vt affectu odij inimicitie personam prosequar, necesse est reperiri in illa aliquam indignitatem, seu maliciam ratione cuius illam odio habeam; ergo ad hoc vt obiectum prosequar actu fugæ, seu odio abominationis, necessum est me cognouisse in illo aliquam rationem mali. Antecedens admittunt omnes; aliàs possem personam quam dignam meo amore apprehendo, & ex nullo capite digna odio seu malo aliquo, odio afficere, & ita summum bonum vt tale apprehensum odisse. Consequentiam probo: Actus odij respicit essentialiter tam personam cui volo malum, quam malum quod personæ cupio: ergo sicut nõ potest actus odio inimicitie respicere personam, vt bonam, & amicitia dignam, ita neque odio abominationis obiectum vt bonum & amore dignum. Idem dico de actu amoris, qui non potest esse actus amicitie circa personam indignam, sed necessario illam vt dignam respicit: ergo neque potest esse amor concupiscentiæ circa obiectum vt malum, sed necessario debet illud vt bonum respicere.

6 Obicit Hurtadus supra: Actus odij circa inimicum debet respicere malum, vt malum inimici, ibi sistendo: ergo circa malum vt malum versari debet: Antecedens probatur; Si ego vellem malum inimico quatenus mihi bonum, actus ille non esset odij, sed actus concupiscentiæ propriæ: actus quo ego volo bonum alteri quatenus mihi bonum, non est actus amicitie, quia hic debet sistere in bono amici præcisè quatenus est bonum illius.

7 Duo à nobis explicanda exposcit hæc obiectio: primum est cur actus amicitie debeat sistere in bono amici præcisè quatenus est bonum illius, & actus odij possit respicere malum inimici, quatenus mihi bonum. Secundum, quomodo debeat respici

respici actus voluntatis malū inimici vt talis actus habeat rationem odij, non enim quicumque actus respiciens malum alterius, si illud respiciat quatenus bonum amanti, vel alteri subiecto, est actus odij, quia actus, quo quis desiderat mortē Patris propter hereditatem capiendā non est odij actus. Vtrumque dabo. Primō appositam disparitatē reddo cur actus amicitiae habeat sistere in bono amico, quatenus bonum illius est, & actus inimicitiae non debeat sistere in malo inimici quatenus est malum illius. Bonum amico concupitū potest concupisci quatenus bonum est tam mihi, quam amico, neque vt ego concupiscam bonum amico necessum est illud vt mihi bonum concupiscere, ac proinde cum possim bono amico concupiscere praesē, quia bonum illius, quasi amicitiae lege id teneor praestare, debeo enim amare bonum amico, quasi mei oblitus omni modo, quo possim, quod si non possem bonum amico, nisi etiam vt proprium bonum amare, hoc non esset contra legem amicitiae, neque actus respiciens bonum amici vt bonum proprium eo modo, quo dicam actū odij respicere malum inimici, vt proprium bonū, a vera amicitiae ratione deflueret. Tota doctrina apte explicabitur, & probabitur actu amicitiae Dei erga creaturas, qui iuxta communem multorum Theologorum sententiam, non possit adhuc formaliter non tendere in propriam Dei bonitatem quia debet obiectum infinitū bonū respicere, & nihilominus est verus amicitiae, quod nullus Catholicus potest negare. Ex hac doctrina disparitatem desumo: malum vt malum non est obiectum prosecutionis, ac proinde adhuc inimico non possum illud prosequi, & hinc fit, quod lege odij (sic fit ita mē explicare sententiam) non teneor malū inimici respicere vt malum illius ibi sistendo, sed etiam vt bonum mihi.

Restat nunc aliud ad argumenti solutionem desideratum explicare: Quomodo actus voluntatis debeat tendere in malum personae, vt talis actus habeat rationem odij, quod sic explicō. Actus odij debet tendere expressē in malum personae ex displicentia talis personae, & malum personae, quae odio afficitur respicere quatenus illi malum est, & quatenus bonum amanti, ita vt si illi malū non esset, conuenientiam illam non haberet in ordine ad subiectum amans. Rem explicabit exemplum: mors Petri quae malum illius est, potest à me intendi praesē quia bona est mihi propter hereditatem capiendam, & quando actus voluntatis illam sic intendo, eandem intendam etiam si mortem Petri apprehendam, quatenus illi bonum vt aeterna beatitudine perfruatur, conuenientia enim quam respicit meus actus voluntatis, non est sita in disconuenientia, quam habet mors Petri in ordine ad ipsum, & ita eodem modo intendam mortem Petri, & cum eadem conuenientia in ordine ad me, siue mortem Petri vt bonum sibi, vel vt malum illi apprehendam, & talis actus nullo modo habet rationem odij, sed propriae beneuolentiae, seu concupiscentiae. Aliter possum tendere in mortem Petri actus voluntatis, quatenus mihi bonum, ex eo quod illi sit mala, ita vt conuenientia, quam habet in ordine ad me, fundetur in disconuenientia quam habet in ordine ad Petrum, & non illā apprehenderē cum illa conuenientia in ordine ad me, neque meum esset bonum, si malum Petri mors ipsa non esset, neque illam intenderem vt mihi bonam, si per eundem actum non tenderem in eandem vt malam Petri, & tunc talis actus propriissimam odij rationem fortietur.

PUNCTUM II.

An actus voluntatis dependeat efficienter ab actu intellectus.

Actum voluntatis à cognitione dependere firmum est. Difficultas est an efficienter dependeat, vel tantum illuminatiuē, seu tanquam à conditione illuminante. Communis verissimāque sententia docet actus voluntatis non pendere efficienter à cognitione, id est, tantum dependere ab illa tanquam à conditione seu propositione obiecti, & quadam quasi morali applicatione: Ita Vasq. 1.2. disp. 36. c.2. apud quem si placet, antiquorum de hac re sententias legere potes.

Probat hanc conclusio. Tota causalitas voluntatis sufficienter intelligitur in applicatione obiecti, ergo nulla alia est necessaria. Probo antecedens: voluntas ideo indiget cognitione, quia est potentia caeca: ergo tantum indiget

illuminatione, seu luce quā videat obiectum: sed haec illuminatio fit per cognitionē formaliter: ergo non est necessarius alius concursus actus cognitionis vt voluntas habeat omnia requisita ad operandū. Secundō probatur: Voluntas est potentia libera cuius obiectum prosecutionis est bonum, & fugae malum: ergo viso bono poterit se ipsam determinare ad prosequendum bonū, & viso malo ad illud fugiendum: ergo non indiget determinate actiue, sed tantum proponente obiectum, vt ipsa pro sua libertate se ipsam determinet: ea enim est natura potētiae liberae vt respectu actuum, quos liberē exercere potest, seipsam liberē possit determinare, & haec est ratio propter quam intellectus indiget speciebus, vel aliis cōprincipiis vt determinetur ad assensum potius, quam ad dissensum, quia cum sit potētia necessaria non potest seipsam determinare: voluntas verō cum sit potentia libera circa obiecta, quae semel cognouit, seu vidit posita cognitione, seu visione illorum, non indiget alio cōprincipio actiui vt determinetur.

Obiicit. Verbum diuinum simul cum Patre spirat personam: ergo nostrum verbum producit amorem. Nego consequentiam concessio antecedenti, quia Verbum diuinum habet eandem naturam cum Patre, & habet potentiam spiratuiam, quae est potens spirare, & est fecundus ad spirationem passiuam: nostrum verō verbum est purum quoddam accidens, longē natura, & essentia diuersum à principio illud, amorēque producente.

Obiicit illud axioma vulgare: ab obiecto & potētia paritur notitia: sed obiectum tantum potest influere in amorem media cognitione: ergo cognitio influat actiue. Resp. amorem non esse notitiam, neque partem illius, neque adhuc remotē pendere efficienter ab obiecto, potest autem aliquo modo dici ab obiecto, quia dependet tanquam à conditione, à cognitione, quae cognitio pendet ab obiecto.

Obiicit. Affectus distinguitur specie per cognitionem: ergo dependet efficienter ab illa. Respondeo dato antecedenti de quo Controu. 15. vbi explicabo quomodo actus voluntatis specificetur à cognitione, negando consequentiam, quia in omniū sententiā ex diuersis actibus adaequatis specie diuersam potentiam inferimus, nihilominus potentia non dependet efficienter ab actibus: & ex diuerso termino diuersa relatio transcendentalis, & praedicamentalis infertur in opinione admittente relationem praedicamentalem superadditam, nihilominus non insluit terminus efficienter in relationem.

PUNCTUM III.

An volitio necessarii & essentialiter pendeat à cognitione.

Bonau. Gerson, alique viri pij apud Vasq. 1.2. disp. 37. c.1. censent in via vnitui per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione, quod sanē alienum est à veritate, quia quantumvis ardeat voluntas feruida summi boni contemplatione amans seu ardens per voluntatem scire potest se amare Deum: ergo cognoscit obiectum sui amoris, deinde experientia ipsa manifestē docet nostrā voluntatem nunquam ferri in obiectum incognitum, unde illud axioma dimanauit; *nihil volitum quin praecognitum*. Deinde probatur, quia Aristoteles & ex illo omnes Philosophi atque Theologi voluntarium definiunt, quod est à principio intrinseco cum cognitione: ergo actus voluntatis saltem naturaliter non potest non à cognitione dependere, quod in hac re tanquam firmum & certum statuo & ad dubia progredior.

Est questio, an amor ita dependeat à cognitione vt adhuc de potentia Dei absoluta non possit non dependere. Afirmant Vasq. 1.2. disp. 37. c.3. n.12. Lorca 1.2. disp. 9. Montefinos ibid. disp. 13. n.38. Hurtad. disp. 14. sect. 4. & Arriaga disp. 7. sect. 4. Non tamen conclusionis communis communis fundamentum vtrique: Hurtadus putat qualitatem in amore inclusam posse produci & vniri voluntati, sine cognitione, non tamen actionem quae est de ratione volitionis. Arriaga verō qui totam amoris rationem in qualitate constituit, docet hanc non posse in voluntate sine cognitione produci adhuc de potentia Dei absoluta, vel voluntatem non constituendam esse amantem per talem qualitatem sine cognitione in voluntate productam.

Afirmo de potentia Dei absoluta posse amorē produci

& voluntatem amantem constitui sine aliqua cognitione. Tenent hanc conclusionem Arg. in 1. dist. 1. q. 1. art. 4. Palud. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. Gran. 1. 2. disp. 2. sect. 1. Conimb. 3. de anima cap. 13. q. 3. art. 2. Id defendo in quacunque opinionione, etiam rationem amoris in actione constitutente, quod sic proba. Volitio non pendet à cognitione tanquam à principio activo influente in volitionem, sed tanquam à conditione, ergo poterit Deus independentem à tali cognitione rapere voluntatem, & habitum si necessarius sit ad volitionem, & simul cum illis producere volitionem: Consequentiam proba: totum principium actuum volitionis consistit in voluntate, habitu, & omnipotentia Dei, & cognitio tantum requiritur, ut inuitet voluntatem, illique proponat obiectum in cuius amorem ipsa se determinet: ergo si Deus per se ipsum velit in actu primo voluntatem prædeterminare ad amorem, non indigebit cognitione alliciente, neque obiectum proponente, neque ipsam voluntatem illuminante; quando enim cæcus ab alio rapitur, & non ita, sed fertur, non indiget luce, ut viam qua iturus est videat, voluntas autem in hoc casu, etsi physice concurreret, moraliter tamen non irret, neque aliquid efficeret, quia non esset libera in tali actu, ideo enim Deus dicitur in nobis operari gratiam præuenientem sine nobis, quia fit sine nostro libero concursu, non tamen sine concursu physico, nam sancta cogitatio quæ gratia præueniens dicitur, physice à nostro intellectu dependet.

4. Eandem rationem clarius expendo. Ad actum amoris Dei concurrunt, voluntas & habitus: non ago de concursu causæ primæ. Voluntas indiget cognitione ut seipsam determinet in actu secundo, habitus non indiget hac cognitione neque debet esse cognoscens, quia determinatur à voluntate, quia id quod non se, neque aliud determinat, determinatio non indiget, quod tantum est necessarium illi, quod se vel aliud determinat. Eodem modo comparo ego voluntatem cum omnipotentia Dei. Voluntas humana & omnipotentia diuina sunt principium adequatum actus naturalis amoris, v. g. circa Ioannem, ideo hæc principia indigent cognitione ut se determinent, & libere operentur: ergo si Deus determinat voluntatem ad amorem obiecti supernaturalis, voluntas nullo determinatio indigebit. Deum autem posse voluntatem prædeterminare de potentia absoluta ad actum non peccaminosum, existimo non posse iuxta bonam Theologiam negari ab aliquo.

5. Eandem sententiam proba contra opinantes qualitatem esse totam rationem cognitionis: qualitas illa potest vniri lapidi, ergo eodem modo potest Deus illam infundere voluntati. Antecedens admittit Arriaga, & consequentiam negat n. 46. quia lapis non est subiectum capax amandi, ac proinde potest in illa qualitas sine cognitione produci; voluntas verò est subiectum capax amandi effectus formalis, quapropter non potest illam sine cognitione recipere. Egregie sanè, diceret quilibet. Lapis non potest recipere formam amoris, quia non potest recipere formalem effectum, voluntas verò illam potest recipere, quia potest effectum formalem recipere, ut opinatur Arriaga: ideo lapidem posse recipere formam sine cognitione, quia non potest effectum formalem talis formæ, & voluntatem eandem formam non posse recipere, quia potest effectum formalem recipere, vnde docet incapacitatem effectus formalis iuuare ad receptionem formæ, & capacitatem eiusdem impedire formæ receptionem, quod è communi apprehensione abhorret. Deinde ut bene docet idem Arriaga, effectus formalis nihil aliud est, quam totum resultans ex forma & subiecto, ergo dicere formam non posse vniri huic subiecto, quia illi communicat suum effectum formalem, idem est ac dicere: non potest vniri huic subiecto, quia ex illo resultabit hoc compositum: quo posito sic arguo: Non repugnat fieri à Deo sine illa cognitione creata compositum ex lapide, & qualitate, in qua formaliter consistit amor: ergo non repugnat fieri à Deo sine illa cognitione creata compositum resultans ex voluntate & eadem qualitate.

6. Respondet posse admitti, Deum posse vnire illam qualitatem voluntati, tunc tamen voluntatem non esse constitutam amantem, quia tunc non esset subiectum proportionatum, quia hoc dicit duo, voluntatē & cognitionem; quam solutionem ait fortè probabiliorem esse. Ego verò utramque difficultiorem existimo, & hanc efficacissime impugno. Cognitionis non esset subiectum adhuc in adæquatē amans, neque amorem recipiens: ergo tota ratio subie-

cti amoris consistit in voluntate. Deinde tota ratio formæ consistit in qualitate: ergo posita qualitate in voluntate est tota ratio formalis huius conereti amans: ergo si Deus hanc qualitatem voluntati infunderet illam amantem constitueret. Tandem meam conclusionem proba ex solutione argumentorum, ex hac enim consistit nullam inuolueri implicationem, quod potissimum & adæquatum, & efficax est fundamentum in questionibus de potentia Dei absoluta.

Obiic. Obiectum voluntatis est bonum cognitum: sed Deus non potest mutare obiectum voluntatis: ergo non potest facere ut versetur circa obiectum non cognitum. Respondeo distinguendo antecedens: Obiectum voluntatis est bonum cognitum materialiter, hoc est, bonum quod cognoscitur seu potest cognosci, concedo; formaliter, id est, ut includens cognitionem, subdistinguo: includens cognitionem tanquam obiectum formale constitutum illius, nego; tanquam conditionem ut potentia versetur circa illud, concedo: sed Deus non potest mutare obiectum voluntatis, distinguo minorem: non potest facere ut voluntas versetur extra rationem formalem sui obiecti, concedo minorem: non potest facere ut aliquando operetur sine omnibus, quæ requiruntur ut voluntas naturaliter operetur, nego minorem: deinde nego consequentiam.

Obiic. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: sed actus voluntatis per se habet esse voluntarium: ergo per se habet dependere à cognitione. Respondeo, ad rationem voluntarij sufficere provenire à principio intrinseco in actu secundo, & dependere in actu primo à cognitione, hoc est, illam naturaliter exigere, quod conuenit amori sine cognitione producto. Vel secundo responderi potest actum voluntatis non esse adquirentem intrinsece voluntarium, quia voluntarium dicitur duo, esse à principio intrinseco & cum cognitione; actus verò voluntatis habet intrinsece esse à principio intrinseco, quia per se dependet ab illo non tamen esse cum cognitione, quæ est extrinseca actui voluntatis.

Obiic. Arriaga: Causa physica non potest operari quin existat: ergo neque obiectum potest amari quin cognoscatur. Probat consequentiam, quia id quod est existentia causis physicis ad producendum, id est cognitio obiecti ut ametur. Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam & confirmationem illius, quia existentia causis physicis est ratio formalis potentie productivæ, seu principij, quia existentia potentie non distinguitur ab ipsa, cognitio verò non est obiecto ratio formalis ut terminet amorem, sed tantum conditio ut potentia possit circa illud versari.

Placet tamen notare omnia argumenta prædicta fore inefficacia, & infirma, etiam si concederemus cognitionem esse rationem formalem obiectivam, & amorem ferri in obiectum ut cognitum, & in ipsam cognitionem: quia licet color esset ratio obiectiva formalis terminans visionem, & nihilominus in probabilissima sententia quam defendo Cont. 4. p. 4. potest videri color non existens, & terminari visio ad colorem non existentem, ita potest terminari amor ad cognitionem non existentem sicut de facto terminatur ad bonum non existens: quod passim notare placuit, licet solutionibus supra traditis firmius adhæream.

Obiic. difficilior Hurtaeus: Volitio consistens in actione immediatè, & per se dependet à cognitione: ergo non potest non pendere ab illa: Probatur antecedens: dependet, non media alia entitate: ergo per se & immediatè. Dices dependere tanquam à conditione: bene sed quid ad rem? dependet tanquam à conditione per se & immediatè: ergo non potest non habere hoc dependentem genus, quia quidquid conuenit rei per se & immediatè non potest ab illa separari. Respondeo. Volitionem non dependere à cognitione per seipsam, sed per coexistentiam volitionis, & cognitionis representantis obiectum materiale, & formale, in quod tendit volitio, quod latè explicabo Contr. 2. punct. 5.

PUNCTUM IV.

An volitio debeat sufficienter ab apprehensione vel indigeat iudicio tenentis ex parte actus primi?

REddè docuit P. Vasq. 1. 2. t. 1. disp. 44. cap. 2. sufficere apprehensionem de aliquo obiecto, ut voluntas simplicem

simplicem delectationem de illo obtineat, quod manifestā experientia suadet, scpe enim quis humilis statu delectatur de dignitate regia, & cogitat quid esset facturus, si illa frueretur, singulaque negotia regia disponit, quae omnia non sine aliqua animi voluptate fiunt, etiamsi obiectum confideretur moraliter impossibile, & scpe physice, ut cum quis se Angelum contempletur, & gaudet de dotibus Angelicis, ac possidet.

Difficile est definire, an apprehensio sufficiat ad actum efficacem voluntatis, qui tendat in executionem mediorum. Negat communis sententia. Ita Med. P. Valentia, P. Azor. P. Soar. apud Salas. l. 2. t. 1. q. 1. art. 1. & 2. tit. 1. disp. 5. sect. 2. Sentio posse hominem temere contra omnes prudentiae rectaeque rationis regulas efficaciter intendere obiectum, quod tantum ut bonum consequendum apprehendit, quia potest more brutorum tactus bonitate obiecti apprehensio ferri in illud, quod probat exemplum brutorum, quae obiectum tantum apprehensum efficaciter intendunt. Secundum id mihi persuasum, quia rationes, quae probant requiri iudicium de obiecto bono consequendo ut efficaciter intendatur, tantum ostendunt esse contra prudentiae regulas, si ne tali iudicio obiectum efficaciter intendere: ergo cum physice impossibile non sit operari contra omnes prudentiae regulas, & modum homini cordato debitum, idque continuo faciant insani homines, & scpe rustici, & simplices, scpe hi obiectum tantum apprehensum efficaciter intendunt.

Sentio insuper non posse nisi per summam imprudentiam efficaciter intendi obiectum, quod prius non indicatur ut bonum consequibile, quo iudicio non praeviente cordati homines, qui rationis momenta mediocriter meditantur, & terminos prudentiae suis tangunt actionibus, numquam obiectum aliquod efficaciter intendunt; est enim summa imprudentia intendere obiectum quod nondum scitur an sit possibile, & apprehensio obiecti non est scientia de illo; non enim dicam ego, me scire Petrum esse in foro, quia Petrum in foro apprehendi. Faciunt plurimum ad rem hanc Christi D. verba Lucae 14. *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, atque adhuc illo longe agente rogat ea, quae pacis sunt.* Quibus verbis docet divina veritas omnem Regem, in quo omnes homines significat, priusquam efficaciter praelium inire intendat, hoc est, negotium aliquod aggrediat, secum conferre rei eventum, & iudicium facere non solum de possibilitate illius, sed etiam futuritione hic & nunc futura, si apponantur media necessaria ad talem finem obtinendum.

Ex hoc fit in cordato homine nullo indeliberato motu praeviento, neque inadvertentia laborante moraliter esse impossibilem intentionem efficacem finis procedentem ad executionem mediorum sine iudicio precedente circa illius bonitatem ut obtinendam. Neque mirum est me asserere insan hominem actum voluntatis posse exercere ex illis principiis, quibus cordatus homo alia simul perpendens impotens est illum efficere, hoc enim in actibus intellectus crebro contingit, quod negabit nullus, videmus enim simplices homines res difficillimas, fictissimaeque novellas credere propter testimonium ludentis pueruli, & aliqua executioni mandare, ad consequendum id quod cordatus, & prudens homo credere non potest, non ex alio capite, nisi quia illorum fides est contra omnem rectam rationem rationabiliterque prudentiam.

Eadem ratione nullus cordatus homo medium eligit, quovis prius examinaverit utilitatem illius cum fine, & per scientiam conditionatam indicaverit aliquam probabilitatem futurum esse utile tale medium si applicetur. Dixi, aliquam probabilitatem indicandam esse utilitatem medij, quia neque de medij utilitate, neque de bonitate finis illiusque futuritione requiritur certum iudicium hic & nunc contingente esse eventum finis intenti, et si illius negatio multo contingenter appareat, dummodo enim sub aliqua contingencia nobis proponatur finis futuritio, possumus sperare aliquam de illa concipere & finem efficaciter intendere.

Ultimo noto circa obiectum apprehensum, ut impossibile posse tendere voluntatem per actum, non absolute efficacem, sed quasi conditionatam, & ex se, quibus ita afficitur voluntas circa obiecta, ut impossibilia propofita, ut si possibilia apparerent ex vi talium actuum mediatum, vel immediatum voluntas executioni mandaret omnia requisita ad illa obtinenda.

Franz. de Oñedo, Philosoph. Tom. I. I.

PUNCTUM V.

An detur imperium ex parte intellectus precedentis actus voluntatis.

Inter requisita ex parte actus primi ex parte intellectus ad volitionem a potentia volitiva emanaturam Thomistae constituunt actum quemdam practicum imperij, significatum verbo, *ac hoc*, qui significari nequit verbo Indicativi modi, quo formale iudicium significetur. Ita Iavellus 9. Metaph. quaest. 4. Sorus tit. 1. de iustitia. q. 1. art. 1. dubio 2. & quaest. 17. art. 1. ad explicationem solutionis ad secundum. N. Bellarminus lib. 3. de gratia, & lib. arb. cap. 8. & 9. & alij interpretes D. Thomae dicta q. 17. art. 1. quos impugnatur Suar. disp. 9. Met. sect. 6. Hic actus non est iudicium, quo determinatur iudicetur rem hic, & nunc faciendam esse, debereque amari, & ceteris praeferi, quia si omne peccatum ex hoc iudicio procederet, omnis peccator esset haereticus & in omni peccato, cuiuscumque esset speciei, committeretur haeresis, sed tantum est actus quidam significatus modo iam dicto.

Hunc imperij actum, tanquam superfluum, impossibilem, & destructivum libertatis impugnant multi e nostris, praecipue P. Suar. loco citato, P. Vasquez l. 2. q. 49. c. 4. P. Did. Ruiz disput. 3. de providentia, sect. 6. P. Arrub. 1. parte, q. 22. art. 1. disp. 63. c. 3. P. Fonseca 9. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 3. P. Azor. tom. 1. tit. 1. cap. 29. P. Puenre, Hurtad. disp. 15. de anima, sect. 8. P. Arriaga disp. 8. sect. 2. subiect. 1. & ex antiquis plures alij, praecipue Scoti discipuli, quos praedicti Auctores referunt, & Almainus 3. moral. c. 2. affirmat hanc esse sententiam omnium Doctorum.

Dico primum, nullum dari actum intellectus, qui non possit significari verbo Indicativi modi, & qui non sit apprehensio, vel iudicium, seu discursus, neque posse dari actum imperij, qui non sit iudicium assertivum. Probatur conclusio: In intellectu nullus est possibilis actus, qui non sit intellectio includens formaliter cognitionem: sed omnis cognitio vel est iudicium vel saltem apprehensio ordinata ad iudicium (mitto discursum, quia continetur in iudicio) sed apprehensio & iudicium possunt significari verbo Indicativo: ergo omnis actus intellectus Indicativo verbo significari potest. Confirmatur: Omnis actus intellectus versatur circa obiectum formaliter ut verum: sed obiectum ut verum, tantum potest terminare iudicium, vel apprehensionem ordinatam ad illud: ergo nullus est actus in intellectu, qui si significari debeat verbo Imperativo distinctus ab apprehensione & iudicio, quae verbo Indicativo significantur.

Deinde omnis actus imperij, ut fatentur Thomistae, est intimatio superioris facta inferiori: sed voluntas nullam habet potentiam superiorem, cuius actus possit illi intimari: ergo respectu proprii actus voluntatis nullum potest imperium reperiri. Si dicas voluntati intimari alium actum eiusdem potentiae, videlicet volitionem praesuppositam ad imperium: de illa volitione inquiri an processerit ab imperio? Si dicas, non processisse, habeo non omnem volitionem ab imperio procedere, ex quo inferam ad nullam esse necessarium, quia de omnibus est eadem ratio. Si affirmes: volitio illa ab imperio procedens supponet volitionem aliam, cuius imperium sit intimatio & sic in infinitum abimus. Dices sistendum esse in vno actu voluntatis facto a Deo, qui dicitur *primum velle*. Contra: Ille actus eo ipso, quod sit volitio est vitalis, & a voluntate dependens: ergo voluntas indigebit imperio ut illum eliciat, & consequenter supponet aliud velle.

Dico secundum: Etiam si possibilis esset, talis actus esset omnino impertinens & superfluous respectu nostrarum volitionum: Dicam potius de hoc actu respectu actionis externae. Probatur: per actum iudicii, quo obiectum representatur voluntati sub ratione boni & mali, est applicatus voluntati motum ad amandum, & odio habendum, & est voluntas illuminata representatione obiecti, quod potest amare, & odifcere: ergo non indiget alio actu intellectus. Probo antecedens. Applicatio obiecti, & illuminatio potentiae consistit in cognitione, quae potentiae ex se caeca proponitur obiectum, circa quod potest versari; sed per iudicium de bonitate, & malitia obiecti est sufficienter cognitum obiectum, circa quod voluntas potest tendere actu persecutionis, & fugae: ergo est sufficienter applicatum obiectum, & potentia ad qua

adequatè illuminata. Consequentia facilem probationem habet. Actus intellectus tantum praequiratur ad actum voluntatis, ut replicatio obiecti & illuminatio potentiae: ergo posito actu, in quo consistit hæc applicatio, & illuminatio potentiae nullus alius requiritur: ergo præter apprehensionem vel iudicium nullus alius actus intellectus praequiratur ad volitionem.

6 Respondent nonnulli, requiri imperiū ad electionem ut influet potentia volitivā intentionem præcedentē, quæ insinuat necessaria est ad electionem, & non fit neque per apprehensionem, neque per iudicium, quibus potest cognosci ratio boni, aut mali in obiecto reperta. In primis hæc solutio aliquantū recedit à cōclusionē, supponit enim imperium non requiri ad intentionem, sed tantum ad electionem. Sed neque hanc requiri, & hanc imitationē esse superfluum ad electionem faciendam probo. Eō præcisē quod voluntati proponatur utilitas mediæ & conducen-
tia, quam habet ad finē, & illius necessitas ad obtinendum finem, est sufficienter præuenta, ut nō possit finem non eligere suppositā intentione, quia ex vna parte obiectum est sufficienter propositum, ut voluntas possit illud amplecti, ex alia cognitio necessitatis, & intentio præhabita suppositā potentia ad eligendū medium sufficiunt ut necessitatem valeant inducere: ergo ad electionem actus necessariū faciendam non praequiratur tale imperium. Dices, praequiri adhuc insinuationem ipsius intentionis, quæ non includitur in cognitione utilitatis, & necessitatis mediæ. Contrariū hæc insinuatō requireretur tantū deberet consistere in cognitione ipsius intentionis insinuatæ, non in actu imperij respectu mediæ, non enim intentio posset insinuari per actum respicientem medium, & non ipsam: ergo ex omni capite superflue ponitur talis imperij actus.

7 Dico tertio: Si tale imperium daretur, omnino libertatem voluntatis everteret. Conclusionē doctē, & solidē insequitur Suarez suprà in hunc modum. Posito tali imperio nulla est indifferentia in voluntate, quia talis est natura, ut non possit non coniungi cum actu, quod ita verū exultimat Med. cit. dubio 2. ut asserat stante imperio efficaci ex parte intellectus nullam restare libertatem in voluntate ad contradicendum, additque imperium non habere hanc efficaciam à voluntate, quia cum non sit in infinitum abeundum, necessariū perveniendum est ad aliquod imperiū intellectus antevergens omnē actionem voluntatis, quod hanc efficaciter rapiat ad operandum, ex quibus sic arguo contra Medinam, & omnes, qui illi cōsentiant. Posito hoc imperio nulla est libertas in voluntate, hoc imperium est ante omnem actum voluntatis: ergo ante omnem actum voluntatis supponitur id, quo posito nulla est libertas: ergo nullus actus voluntatis liber esse potest: duas partes antecedentis desumpsi ex Medina duas illationes factas exultimo apud omnes fore magni roboris.

8 Respondet Iuellus 9. Metaphys. q. 4. hoc imperium liberum esse respectu voluntatis, & ita actum ex illo necessariū illatum posse libertate gaudere. Recedit solutio à Thomistarum doctrina, & in maiores incidit difficultates, si actus imperij liberè debet supponere actum voluntatis, hic actus voluntatis aliud imperium, & ita in infinitum abeundum, vel deveniendum ad aliquem actum voluntatis, qui ab imperio non dependeat ad actum imperij necessariū, quod bene novit Medina, qui ne in hanc difficultatē incideret falsus est hoc imperium antevertere omnē actū voluntatis, & illo posito nullam manere libertatem in voluntate, non sine magna humanæ libertatis iactura. Deinde etiamsi imperium liberum esset, actus quando ab illo necessariū oritur, in se non esset liber, sed libertate imperij secundariū, & derivatiū, sicuti electio orta ex intentione libera efficaci in se libera non est, ut probabo in anima Controv. 10. Punct. 3. Plures alias solutiones, & plurima alia argumenta possem adducere contra hanc sententiam. Vide quæ contra omnem prædefinitionem antecedentem nostri Authores adducunt, quæ omnia æquē contra hoc imperium adduci possunt, illa iterum recognosce, quibus poteris uti ad imperium impugnandum.

9 Si velim fundamenta euellere, quibus hoc nititur imperium, vix vllum inuenio. Primum peti solet ex auctoritate Aristotelis, apud quem neque relatum ab aduersariis vllum testimonium inuenio, quod quidquam difficultatis præ se ferat. Legatur P. Vasquez disput. 59. citatā, cap. 5. ubi mentem Aristotelis doctē interpretatur. Circa mentem D. Thomæ lege nostrum Ruizium disput. 3. de providentia,

sect. 7. à n. 8. ubi probat Angelicum Doctorem nullum posuisse actum imperij in intellectu distinctum à iudicio enunciativo, & in hoc consistere actū imperij iuxta auctoritatem sancti Doctoris, probat ex illius testimonio, & ex interpretatione Conradi nobilis rati Præceptoris Discipuli. Probat similiter nostrum Ruizium multis Scripturæ testimoniis, actum imperij verbo Indicatio significari. Quod si ita imperium constituitur faciliè illud admittam respectu volitionum efficacium, quas iudiciū de bonitate obiecti, saltem ut in plurimum præcedere verum est, vnum tamen Thomistis non concedam, quod Angelicus Doctor minime docuit, videlicet actum illum imperij talis esse naturæ, ut illo posito, nulla in voluntate indifferentia remaneret, hoc enim absque omnimoda libertatis iactura conceditur; voluntas enim indiget iudicio, ut possit proprium actum elicere, non verò iudiciū illud praequiratur voluntatem determinat, sed voluntatem constituit potentem se determinare, & ita requiritur iudiciū ut voluntas se ipsam determinet, non verò, ut illud voluntatem prædeterminet, quod pulchrè dixit Bernardus libro de gratia & libero arbitrio, his verbis, *Est ratio data voluntati, ut insinuat illam, non ut destruat; destrueret autem, si necessitatem illam imponeret, quo minus pro arbitrio suo sese volueret.* In confirmationem huius doctrinæ docuit Salas 1. 2. tit. 6. disp. 2. sect. 1. a. ex Viguerio, quem ipse refert imperium directivum pertinere ad intellectum, & motivum ad voluntatem.

CONTROVERSIA IX.

De actibus voluntatis imperantibus alios actus eiusdem potentia.



M NIA quæ in hac materia continentur purè sunt Philosophica, quia tamen Theologis valde necessaria sunt illis disputanda commendant Philosophi; ego tamen illa non omitram hac de causa, munus enim Philosophi est Theologo ministrare illa quæ intra Philosophiæ obiectum continentur.

PUNCTUM PRIMUM.

De imperio reflexo circa actum singularem.

§. I.

Status questionis.

Omnium potentiarum Regina voluntas, quæ aliis imperat, & determinat ad proprios actus, cui potentia externæ præstò obediunt, ut primum enim voluntas dicit, *volo deambulare*, potentia loco motiva suum exercet officium & voluntati obedit, & intellectus in omnibus, in quibus sufficiens motivum habet ad assentiendum, vel dissentiendum, & rei evidentia ad aliquem actū non adducitur, voluntati obedit, & ad imperium illius assensum dicit, vel dissentium simile imperiū exercet voluntas, respectu suorum actuum, quādo per vnum actum alium sibi imperat, ut cum dicit, *volo elicere actum contritionis*, contritionis actus imperatus dicitur; ille verò alius actus reflexus quo dicit voluntas, *volo elicere contritionem*, imperans appellatur.

De ratione actus imperati est ab imperato procedere, & de ratione imperantis in imperatū influere, inde imperans & imperatus se habent tanquam causa & effectus. Addit Ripalda de ratione imperati esse ordinatū in finem operantis, & hac ratione dicitur illi servire, ita ut omnis actus voluntatis ab alio procedens, & in illius finem ordinatus imperatus dicitur. Non placet hic philosophandi modus, quia sæpè actus imperans tanquam finem respicit ipsum imperatum, sæpè enim quis dicit, *volo elicere contritionem* propter excellentiam ipsius actus nullo alio fine inspecto, quæ finem non inspicit contritio, quæ tantum respicit destructionem peccati propter Deum offensum. Secundo, electio mediōrum dependet ab intentione, & in illius finem ordinatur, &